

addita est ab evangelistâ, ut designetur non fuisse veram columbam.

Resp. Neg. consequ., et dico S. Ambrosii loqui conformiter ad alios Patres, scilicet quod evangelista dicit: *Quasi columba*, quia Spiritus sanctus non descendit in veritate columbe, tanquam ipse isto tempore esset vera columba, sed tantum sub specie veræ columbe: è contra verò Verbum divinum non descendit in aquam sub specie hominis, aut quasi homo, sed in veritate hominis, quia erat verus homo. Unde verba Ambrosii integra sunt hæc: « Et ecce quasi columba Spiritus sanctus descendit. Non columba descendit, sed quasi columba. Memento quod dixit: *Christus carnem suscepit non sicut carnem, sed carnis istius veritatem. Verè carnem Christus suscepit: Spiritus autem sanctus in specie columbe hæc non in veritate columbe, sed in specie columbe descendit de celo.* »

Obj. 2^o: Lib. Tobie, cap. 5, v. 5, dicitur: *Tunc egressus Tobias invenit juvenem splendidum* (scilicet Raphaelen archangelum) *stantem præcinctum, et quasi paratum ad ambulandum.* Item ibidem, v. 15: *Cui ait juvenis: Forti animo esto, Tobias, in proximo est ut ad Deo curreris.* Atqui Scripturâ ibi non addit aliquam particulam similitudinis, et tamen non vult dicere, quod Raphael apparuerit in specie suæ substantiæ, vel quod à parte rei fuerit pulcher juvenis: ergo solutio supra data non subsistit, nempe quod Evangelistæ addant particulam similitudinis ad ostendendum quod Spiritus sanctus non apparuerit in specie suæ substantiæ, vel quod ipse non fuerit columba; sed dici debet, quod eam addant ad designandum, quod super Christum non apparuerit vera columba, sed tantum species columbe.

Resp. Neg. consequ., quia etsi Scripturâ non semper addat particulam similitudinis; equidem dum eam addit, certius significat, personam, de qua agit, non apparuisse in specie propriæ substantiæ. Deinde hic est alia omnino causa, cur debeat addi particula similitudinis, quia nimirum Christus poterat videre Spiritum sanctum in specie propriæ substantiæ, Tobias vero non poterat videre angelum in propriâ specie. Debeuerunt igitur Evangelistæ addere particulam similitudinis, ut significarent Spiritum sanctum non apparuisse Christo in propriâ specie, sed in alienâ.

Obj. 3^o: Ratio ob quam S. Aug. et D. Thom. asserunt non tantum speciem columbe, sed veram columbam apparuisse, nullo modo convincens est, nec subsistit, ergo, etc.

Prob. ant. Quia etiam si non fuisset vera columba, nulla fuisset fallacia, in representatione Spiritus sancti: nam, sicut nullâ usus est fallacia, dum descendit sub specie linguarum dispersitarum, tanquam ignis, in Pentecoste, Act. 2, quamvis ibi non fuerit vere lingua, aut verus ignis; sic etiam hic nullâ usus fuisset fallacia, quanvis non fuisset vera columba.

Resp. Neg. ant. ejusque probationem, quia volebat Spiritus sanctus sub specie columbe dare testimonium, quod ipse esset in veritate Spiritus sanctus,

et Christus Filius Dei; testimonium autem suæ veritatis, et suarum operationum voluit dare per proprietates columbe: si ergo tantum assumpsisset corpus columbe falsum sive phantasticum, aut tantum imaginarium, etiam tantum ostendisset falsas aut imaginarias proprietates, adæque etiam tantum fallaciter probasset quod Christus sub formâ veri hominis esset verus Deus, ex eo quod ipse sub formâ columbe tantum imaginariæ esset verus Deus. Cùm igitur Spiritus sanctus voluerit ostendere seu testificari, veritatem naturæ humanæ in Christo non officere ejus divinitati, sicut veritas naturæ columbinæ non officiebat suæ divinitati, ut hoc sine fallaciâ monstraret, debuit ipse vultu apparere sub formâ veræ columbe, ac Filius apparuit sub formâ veri hominis: unde si ibi non fuisset vera columba, demonstratio illa fuisset falsa.

Aliud est de linguis igneis, et nonnullis aliis apparitionibus, in Scripturâ expressis; quia ille non sunt factæ ad probandum veritatem alicujus corporis, sed nunc ad significandum aliquid, vel operandum; ad quod indifferens est an operatio fiat sub specie tantum, an sub verâ formâ alicujus corporis. Unde, cùm in Pentecoste apparuit sub specie linguarum, tantum facta sit ad significandum dona Spiritus sancti, indifferens fuit an ibi fuerit vere lingua, et verus ignis, an verò tantum ignis et lingua apparentes.

QUESTIO VII.

Quænam fuerit vox Patris, et an miracula in Baptismo Christi facta, ab adstantibus fuerint visa.

Matthæus, cap. 3, v. 17, dicit, de celo sonuisse hanc vocem: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacuit.* Sed Marcus et Lucas dicunt sonuisse istam vocem: *Tu es Filius meus dilectus*, etc. Circa hæc oritur dubium an Matthæus referat præcisè verba, sicut dicta sunt, an verò alii duo? Cajetanus et nonnulli alii putant sonuisse illam quam referunt Marcus et Lucas.

Attamen probabilior est sonuisse illam quam refert Matthæus: nam verisimile est, eodem modo locutum fuisse Deum Patrem in baptismo, sicut in transfiguratione: atqui in transfiguratione, testibus Matthæo, c. 17; Marco, cap. 9; Lucâ, cap. 9; et S. Petro, Epist. 2, cap. 1, sonuit hæc vox: *Hic est Filius meus*, etc.; ergo et eadem sonuit in baptismo. Unde Marcus et Lucas videntur tantum retulisse vocem Dei Patris quoad substantiam verborum, non verò prout à parte rei insonuit. Interim propterea nulla est inter Evangelistas contradictio; quia, licet non eandem locutionem retulerint, eandem tamen retulerunt sententiam; ut observat S. P. Aug., lib. 2 de Cons. evang., cap. 14.

Porro omnia quæ in baptismo facta sunt, ab adstantibus fuerunt percepta, et vox intellecta:

Prob. 1^o quia hæc omnia facta sunt in testimonium divinitatis Christi: atqui non Christus, sed adstantes debebant hoc credere; ergo. Illic

Prob. 2^o ex Patribus. Dicit enim Chrysost., hom. 12 in Matth.: *Columba idèò apparuit ut extènti quodam*

mòdo digni vice, Dei Filium Joanni caterisque monstraret. Item: « Venit Spiritus sanctus in specie columbe, et vocem traxit ad Filium, cunctisque fecit esse perspicuum, quia istud quod ait: *Hic est Filius meus dilectus*, non de Joanne Baptistâ, sed de Filio baptizato debet intelligi. » S. Hieron., in cap. 3 Matth., ait: *Sedit columba super caput Jesu, ne quis putaret vocem Patris ad Joannem factam, non ad Dominum.* S. Hilarius, can. 2 in Matth., ita scribit: *Filius Dei auditu conspectuque monstratur, plebique infidæ et prophetis inobediens testimonium de Domino suo mittitur et contemplationis et vocis.* S. P. Aug., lib. 2 de Cons. evang., cap. 14, de voce Patris habet sequentia: « Quod Matthæus ait dictum: *Hic est Filius meus dilectus*, et alii duo dicunt: *Tu es Filius meus dilectus*, et ad eandem sententiam explicandam valet... Vox enim celestis unum horum dixit, sed evangelista ostendere voluit ad id valere quod dictum est: *Hic est Filius meus*, ut illis potius qui audiebant indicaretur quod ipse esset Filius Dei; atque ita dictum a referre voluit: *Tu es Filius meus*, ac si diceretur illis: *Hic est Filius meus.* Non enim Christo indicatur hæc quod sciebat, sed audiebant qui aderant, propter quos etiam ipsa vox facta est. »

Obj. 1^o: Dicit evangelista Joannes, c. 1, v. 52: *Testimonium perhibuit Joannes, dicens: Qui vidi Spiritum descendentem quasi columbam de celo, et mansit super eum.* Atqui, si hoc omnes vidissent, Joannes Baptistâ non debuisset dare testimonium, sed potius debuisset dicere: *Vos ipsi vidistis*; ergo præter Christum solus Joannes vidit columbam.

Resp. Neg. min. et consequ., quia Joannes non dedit illud testimonium illis qui viderant Christum baptizari, sed aliis qui non viderant, nec in baptismo Christi fuerant presentes: nam illud testimonium, ut ibidem, v. 29, patet, dedit *alterâ die*, id est, postridiè istius diei, quod satisfecerat legationi Judæorum.

Obj. 2^o: Si Judæi vocem Dei Patris audivissent, certò Christum credidissent esse Messiam; atqui tamen hoc non crediderunt; ergo. Deinde Christus ipsemet dicit Judæos sui temporis vocem Patris nunquam audivisse: sic enim loquitur Joan. 5, v. 57: *Qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me* (scilicet in baptismo), *neque vocem ejus audistis, neque speciem ejus vidistis.* Ergo vocem illam Patris prope Jordanem prolatum non audiverunt.

Resp. cum S. Chrysost., hom. 12 in Matth. « Cur non crediderunt cùm talia fierent? Quia etiam sub Mose multa edita sunt miracula, licet non his similia, tamen post omnia illa, nempe voces, tubas et fulgura, etiam vitalium constârunt, et Boelphégoro initiati sunt... Ne igitur quaras quomodo non crediderunt; sed illud require an non omnia facta sint quæ ipsis fidem facere jure debeuerint. » Ita S. Chrysostomus. Et sanè plurima alia facta sunt à Christo, et tamen ipsi non crediderunt, et nequidem quando milites custodes sepulcri dicebant, ipsum verè resurrexisse. Hujus autem rei sola causa est Judæorum pertinax malitia. Deinde etiam dato quod Judæi,

qui in baptismo presentes erant, tunc quidem magnam de Christo opinionem conceperint, qualem miracula postulabant, illam tamen in passione amiserunt. Interim non videtur negandum quod aliqui, licet pauci, ex Judæis, qui vocem Dei Patris audiverant cateraque miracula viderant, Christum verum esse Messiam crediderint.

Ad illud verò quod Christus ipsemet dicit Judæos sui temporis vocem Patris nunquam audivisse, sciendum est quod Israelite in deserto, Exodi 20, v. 19, audita voce Domini, nimio terrore perterriti, petiverint, ne Dominus ipsis loqueretur per se, nec amplius ipsum viderent in tanto igne, sed ut loqueretur illis per prophetam, qui promiserunt se credituros. Deus conditionem admisit, et promisi se suscitaturum prophetam, scilicet Christum, cui, juxta hoc pactum, essent credituri, aliàs puniendi. Totum hoc constat ex Deuter. 18, v. 15, ubi dicit Moyses: *Populatum* (id est, Messiam), *ut palex ex Act. 5, v. 29) de gente tua et de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus; ipsum audies, ut petisti à Domino Deo tuo in Horeb, quando concio congregata est, atque dixisti: Ultra non audiam vocem Domini Dei mei, et ignem hunc maximum amplius non videbo, ne moriar.* Et ait Dominus mihi: *Bene omnia sunt locuti. Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui; et ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia que præcepero illi. Qui autem verba ejus que loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego altor existam.* Aluid igitur Christus ad illud ipsum pactum, cum Deo initum, exprobrando quod illud non observent. Unde sensus est hic: *Illam terribilem Dei vocem nunquam audistis, neque etiam terribilem ejus speciem nunquam vidistis, adæque Deus ex stâ parte pactum vobiscum initum observavit; sed vos illud infringistis, quia Deus Pater testimonium perhibuit de me in baptismo, quod ego sim ille propheta, et tamen mihi non vultis credere, etc.* Ita hunc locum explicant Toletus, Menochius, et Jansenius.

CAPUT VIII.

Christus post baptismum secessit in desertum, et ibi quadraginta diebus jejunavit; deinde tentationes diaboli viciit, et post tentationes superatas angeli ad eum accesserunt, eique ministrarunt. Matth. 4, v. 1 usque ad 11; Marci 1, v. 12 et 13; Lucæ 4, v. 15 usque ad 15.

QUESTIO PRIMA.

A quo, et in quem finem Christus sit ductus in desertum.

Matthæus cap. 4, v. 1, dicit: *Tunc Jesus ductus est in desertum à spiritu, ut tentaretur à diabolo.* Per *est tunc* significatur, quod illud factum esse immediate post baptismum in desertum ductus fuerit. Unde Marcus, cap. 1, v. 12, ait: *Et statim spiritus expulit eum in desertum.* Et Lucas, cap. 4, v. 1: *Jesus autem plenus Spiritu sancto, regressus est à Jordane, et agebatur à spiritu in desertum.* Unde omninò verisimile est quod Christus eadem die, scilicet sextâ januarii quâ baptizatus est, actus sit à spiritu in desertum, eademque

finiente, et septimā incipiente, inchoaverit jejunium 40 dierum, adeoque illud finierit die decimā quintā februarii.

Dom autem dicitur actus, et expulsus à spiritu in desertum, non significatur quod contra voluntatem suam eò adactus sit, quomodo agitur bruta; sed designatur vis, efficacia et alacritas spiritus, quæ erat in Christo, ac futura erat in apostolis cæterisque Christianis, quos possessurus et ad heroica virtutum opera acturus erat Spiritus sanctus, juxta illud ad Rom. 8, v. 14: *Qui Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei.*

Porro Christum ductum esse in desertum à Spiritu sancto, non verò à spiritu tartareo, docent communiter omnes interpretes: Origenes, hom. 29 in Lucam; D. Chrysost., hom. 13 in Mattheum; S. Hier. in cap. 4 Matth.; S. Gregor., hom. 10 in Evangelia; Theophylactus, Euthymius, etc.

Insuper hoc etiam ratio suadet. 1° Quia diabolus poterat eum ubique tentare; et consequenter in illum finem non debet eum ducere in desertum. 2° Quia etiam ducendo in desertum, ipsum tentasset, aut saltem incopisset eum tentare ante finitum jejunium 40 dierum. 3° Si à diabolo eò deductus fuisset, ibi certò non mansisset. 4° Diabolus non habebat motivum ipsum tentandi, saltem per gulam, quia nondum esuriebat.

Observat autem S. Chrysost., hom. 13 in Matth., quod dicitur ductus à spiritu, ut tentaretur, ne quis propria sua sponte audeat se exponere tentationi, nisi Spiritu Dei moveatur.

Nota tamen quod particula *ut* hic non significet Spiritum sanctum directè intendisse ut Christus tentaretur à diabolo; nam hoc est illicitum, sed tantum intendit permittere tentationem. 1° Ut Christus triumpharet. 2° Ut fideles suos contra omnes diaboli tentationes muniret. 3° Ut illum vinceret in deserto, qui Adamum vicerat in paradiso.

Petes an Christus non fuerit antea tentatus.

Resp. Verisimile est Christum etiam in juventute sua sæpius tentatum fuisse: nam diabolus nullum omninò hominem ratione utentem non tentat. Deinde ad Hebr. 4, v. 15, dicit Apostolus: *Non habemus Pontificem, qui non possit computi infirmitatibus nostris; tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.* Attamen certum est quod diabolus tentando Christum modo ordinario, scilicet invisibiliter, nullum unquam peccati sensum potuerit in Christo excitare; et fortè ideo, post jejunium, sciens ipsum esurire, assumpsit formam aliquam visibilem, ut in eà potuisset Christum decipere.

Quæstio II.

An Christus totis quadraginta diebus esurierit, et jejunium ipsum affligerit.

Lucas Brugensis cum paucis aliis existimat quod Christus non tantum post quadraginta dies, sed etiam in decursu quadraginta dierum esurierit, sed non adeò vehementer quam post quadraginta diem. Attamen oppositum est probatilius. Unde

Resp. et dico 1°: Christus totis illis quadraginta diebus nec esurivit, nec silivit.

Prob. 1° quia Mattheus, cap. 4, v. 2, dicit: *Cum jejunasset quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, postea esurivit.* Ergo ante non esurivit. Claris id exprimit Lucas, cap. 4, v. 2, dicens: *Et consummatis illis, scilicet quadraginta diebus, esurivit.* Etenim ex *et consummatis illis* omninò manifestum ac evidens est Christum antea non esurivisse; siquidem dum quis narrat, expleto vel consummato tali tempore aliquid esse factum, planè significat antea non esse factum; ut patet in similibus locutionibus ejusdem evangelistæ: *Postquam consummati sunt dies octo*, cap. 2. *Et cum complerentur dies Pentecostes*, Act. 2.

Prob. 2° ex S. Hilario, can. 2 in Matth., dicente: *Post quadraginta dies, non in quadraginta diebus, esurivit, Moyses et Elià in eodem jejunii tempore non esurientibus.* Item Petrus Chrysologus, hom. 11, ait: *Cum dicit evangelista: Postea esurivit; quadraginta diebus et quadraginta noctibus probat in Christo esurire non fuisse.* Idem habet Ambrosius, in cap. 4 Lucæ.

Dico 2°: Jejunium illud nec afflixit Christum, nec illi debilitatem, maciem aut pallorem attulit.

Prob. 1°: Christus prohibuit famem; ergo credendum est quod etiam maciem prohiberit.

Prob. 2°: Jejunium Moysis et Eliæ non debilitavit ipsos; ergo nec jejunium Christi ullo modo ipsum debilitavit.

Prob. 3°: Christus hic noluit pati famem, ut se ostenderet esse Deum; ergo etiam debuit nolle pati debilitatem: aliàs enim si debilitatus fuisset, patuisset quod esset merus homo; adeoque per tolerantiam famis non ostendisset se esse Deum.

Prob. ant. ex Patribus. S. Ignatius Martyr, epist. 8 ad Philippenses, dicit: *Per illud (scilicet quod per 40 dies jejunaverit, famem non sentiens) ostendit se Deum esse; per hoc verò (scilicet per esuriam) hominem, etc.* D. Cyrillus, lib. 2 ad Reginas, ait: *Cum quantum sat erat, Christus jam jejunasset, dividensque virtute absque cibo et potu incorruptam carnem conservasset; quam ob causam, queso, esurivit? ob eam nimirum, quo aptè per utrumque, Deum simul et hominem se declararet.* Idem habet Haymo, in Matth., dicens: *Sicut in quadagesimali jejunio verus Deus patuit Christus, ita et in esurie post jejunium verum hominem se esse ostendit.*

Dices: Si Christus toto illo tempore non esurierit, nec etiam debilitatus fuerit, istud jejunium nullus fuit meriti, quandoquidem nullus fuerit laboris. Unde sicuti nullus meriti fuisset castitas in statu innocentie, quia tunc nemo stimulum carnis sensisset, ita pariter nullus meriti videtur fuisse jejunium Christi, si nec esuriam, nec debilitatem senserit.

Resp. Neg. assump. Nam, hoc non obstante, jejunium illud habuit omnem effectum à Deo et Christo intentum: meritum enim non necessariò desumitur à labore vel poenà, sed à bonitate operis. Sic jejunium jam præcisè non præcipitur, ut jejunans labo-

ret fame: sed ut agat poenitentiam, vel ut corpus spiritui subjiciat, etc.

Deinde, quamvis in jejunio non sit esuries, est tamen privato illius jucunditatis, quam percipit comedens ex sapore cibi. Hæc Christus caruit, et nos carere docuit. Jejunavit ille sicut decebat Deum incarnatum; nos verò docuit jejunare sicut convenit jejunare homines. His adde quod Christum equidem post quadraginta dies ex isto jejunio esuriam passus fuerit, adeoque etiam ex hæc parte jejunium illud fuerit meritorium. Aliud est de castitate in statu innocentie; quia illa nullum post se effectum reliquisset; siquidem ibi nec ulla fuisset privato jucunditatis aut voluptatis, nec quicquamque alius effectus secutus, propter quem homo meritis fuisset.

Quæstio III.

Quare diabolus voluerit Christum tentare.

Resp. Videtur diabolus dubitasse de Christi Divinitate, et voluisse per illam tentationem explorare, an reverà ille homo Deus esset.

Prob. 1° quia, si scivisset Christum esse Deum, non fuisset ausus illum tentare. Deinde optimè sciebat quod si esset Deus, ipsum in peccatum pertrahere non posset. Quinimò nec diabolus latebat, quod Deus nequidem summa humanitatem esset unquam permissurus in peccatum labi: ergo non scivit Christum esse Deum, sed dubitavit.

Prob. 2°: Si certò scivisset Christum esse Deum, non promississet illi omnia regna mundi: nam tunc etiam certò scivisset, ipsum esse verum Dominum omnium regnorum mundi.

Prob. 3° quia hæc est communis SS. Patrum sententia. In primis ita sentit S. Ignatius Martyr, epist. 8 ad Philippenses, ubi diabolo exprobat quod, quamvis cognoverit angelorum cantum in Christi nativitate, Magorum adorationem, etc., tamen semper manserit in ignorantia divinitatis Christi, quia videbat ipsum esse pauperem, humilem, etc. In fine autem subdit: *Vidisti hominem quadraginta diebus et noctibus, et nullo humano cibo degustato perseverasse, qui primum videras quasi communem hominem baptizatum. Deinde post jejunium esurientem; rursum autem mox resumebas, ac tentabas quasi communem hominem, ignarus qui esset.* Dicbas enim: *Si Filius Dei es, hoc enim est ignorantie.* D. Hilarius, can. 5 in Matth., dicit: *Erat in diabolo de metu suspicio, non de suspitione cognitio.* S. Ambros., in cap. 4 Lucæ, ait: *Cognoverat demon Filium Dei venturum, sed venisse per hanc infirmitatem corporis, non putabat. Sic tentat ut exploret; sic explorat ut tentet.* His accedit S. P. Aug., lib. 9 de Civ. Dei, cap. 21, dicens: *Dubitavit de illo demonum princeps, cumque tentavit an Christus esset explorans.* Idem docent S. Hieron., in cap. 4 Matth., Chrysost., hom. 13 in Matth. et alii communiter.

Obj. 1°: Diabolus poterat facilè et certò scire Christum esse Deum, ex colloquio Gabrielis cum D. Virgine, ex concepta et verbis angelorum ad Pastro-

res, ex adoratione Magorum, ex canico Simeonis, etc. Idem ex testimonio Joannis, et Dei Patris: *Hic est Filius meus dilectus*, etc. Ergo diabolus non tentavit Christum ut exploraret an esset Deus.

Resp. Neg. ant., quia demonis intellectus à Deo fuit obfuscat et impeditus, ne illa omnia satis benè intelligeret. Unde S. Aug., loco præcitato, ait: *Tantum Christus demonibus innotuit quantum voluit, tantum voluit quantum oportuit.*

Obj. 2°: Demon haud dubiè videbat, humanitatem Christi esse conjunctam cum personalitate Verbi; ergo videtur novisse quod Christus esset Deus.

Resp. Neg. ant. Nam illa cognitio est supernaturalis: supernaturalia autem non potest demon suo solo ingenio concipere.

Inst. Potuit demon videre quod humanitas Christi careret sua personalitate; siquidem hæc carentia est naturalis; ergo, etc.

Resp. vel demonem fuisse impeditum per personalitatem Verbi, quominus hoc videret; vel si viderit, ignorasse à quo sustentaretur; quia equidem personalitatem Verbi ipse naturaliter videre non poterat.

Obj. 3°: Diabolus tentavit Christum quia videbat ipsum esurire; ergo tentavit illum gulà, adeoque ut induceret illum in peccatum, non verò ut exploraret an esset Deus. Ante responsum.

Nota quod diabolus tentaverit Christum tribus tentationibus principalibus, scilicet carnis, superbiæ, et avaritiæ. Prima tentatio, ut Christus ex lapidibus panes faceret, fuit gulæ, seu concupiscentiæ carnis. Secunda, ut se ex pinnaculo templi præcipitaret, fuit vanæ ostentationis, gloriæ, ac superbiæ. Tertia, ut Christus diabolum adoraret, cum adjunctâ promissione regnorum totius mundi, fuit avaritiæ, superbiæ et idololatriæ. Sed his tribus tentationibus explorare voluit diabolus, an Christus reverà Deus esset. Quare ad argumentum propositum.

Resp. Disting. consequ. Tentavit illum gulà secundariò, seu indirectè, concedo; quia dum tentare volebat, debebat necessariò ad aliquod malum tentare. Tentavit illum gulà primariò, seu ex principali sua intentione; nego consequentiam: nam aliàs obtulisset illi cibum aliquem delicatum, et non lapidem, quamvis in panem convertendum. Quis enim communiter peccat contra sobrietatem manducando tantum panem sicum? Unde Euthymius in cap. 4 Matth., dicit: *Respondemus, diabolum hæc tentatione divinitatem Christi explorare voluisse, cui exploratæ tioni gallinæ alique cibi nihil profuissent. Ex lapidibus autem panes efficere suavit, quoniam si efficeret, ex hæc conversione Filium Dei esse cognovisset.*

Inst. Multi sancti talia miracula patrârunt; atqui inde nec unquam judicavit, nec judicare potuit diabolus ipsos esse Deum; ergo, etc.

Resp. Neg. consequ. Ratio est 1° quia diabolus peti-

verat istud miraculum in signum ejus divinitatis; dixerat enim: *Si filius Dei es, dic ut lapides isti, et diaboli autem non dixerat Christo: Ora Deum, ut lapides isti, etc., sed dixerat: Dic, id est, jube, ut lapides isti panes fiant.*

Obj. 4^o: Refert Nicephorus lib. 1 Hist. eccles., cap. 17, quod Augusto Caesari consulenti oraculum Apollinis Pythii, demon responderit:

*Me puer Hebraeus, ditos Deus ipse gubernans,
Cedere sole jubet, tristemque redire sub orcum;
Aris ergo delinæ tactus abscedit nostris.*

Ergo diabolus bene sciebat ipsum esse Deum.

Resp. Præterquam quod omnia oracula idolorum circa mysteria vite Christi aperiunt redolent fabulam, demonem Christum vocasse Deum, quia sentiens se compulsus tacere, ipso nato, suspicabatur ipsum esse Deum; vel quia à Deo coactus erat pro oraculo respondere, et fateri suam imbecillitatem.

Obj. 5^o: Marci 1, v. 24, diabolus per os emergenti exclamavit, et ad Christum dixit: *Scio quis sis, Sanctus Dei.* Græcè autem loco *Sanctus Dei* habetur: *Ille sanctus Dei*, scilicet de quo prophetae sunt vaticinati, et præsertim Daniël cap. 9, ubi vocatur *Sanctus sanctorum*. Ergo diabolus noverat, Christum esse verum Messiam et Filium Dei.

Resp., etiamsi concederetur quod tunc, nempe quando Christus cepit predicare, diabolus novisset, ipsum esse Filium Dei, id nihil obesse nostræ resolutioni; quia in hac questione non resolvimus, diabolus ignorasse Christum esse Deum postea, scilicet postquam Christus ipsemet per miracula, aliaque signa monstravit se esse Filium Dei; sed tantum, quod ignoraverit hoc. iam ipsum tentavit. Interim tamen directè respondeo quod nequidem illo tempore ipsum esse Deum certò cognoverit: siquidem Apostolus, epist. 4 ad Cor. cap. 2, de sapientia mysterii Dei loquens, v. 8 ait: *Quam nemo principum hujus seculi (id est nemo demonum) cognovit: si enim cognovissent, nunquam Dominum glorie crucifixissent;* hoc est, nunquam Judeos ad necem Domino inferendam instigassent. Ex quibus verbis manifestum est quod diabolus ante Christi passionem certò et indubitanter non cognoverit quod Christus esset Filius Dei.

Ad verba autem ex Marco citata, uti et ad varia alia que ex Evangelio citari possunt, dico inde tantum sequi diabolum quidem vehementer suspicatum fuisse, Christum esse Filium Dei, sed tamen id certò non novisse. Unde S. P. Aug. reflectens ad præciata S. Marci verba, lib. 9 de Civ. Dei, cap. 21 ita scribit: *Sic innouit (Christus demonibus) non sicut angelis, sanctis, qui ejus, secundum id quod Dei verbum est, participata æternitate perfruunt, sed sicut eis terrendum innotescendum fuit... Innouit ergo demonibus non per id quod est vita æterna, et lumen incommutabile... sed per quedam temporalia sue virtutis effecta, et occultissima signa præsentia que angelicis sensibus etiam malignorum spirituum potius quam infirmitati hominum possent esse conspi-*

cua; Vide etiam D. Thomam, 3 p., q. 41, a. 1, ad 1. Dicendum igitur quod perplexus esset diabolus in cogitationibus suis. Hinc videns miracula Christi, que non possent nisi à Filio Dei fieri, et quia per ejus doctrinam sentiebat homines eripi sue potestati; aliquo modo suspicabatur ipsum esse Filium Dei; inde verò cernens hominem, eumque passibilem et mortalem, videbatur ipsi quasi impossibile ac incredibile, quod talis homo esset Filius Dei. Unde non ex certà notitia, sed ex merà conjecturà et suspitione dixit: *Scio quòd sis Sanctus Dei, etc.*

Obj. 6^o: Saltem in duabus ultimis tentationibus non voluit diabolus experiri an Christus esset Deus; sed tantum ipsum inducere ad peccatum.

Resp. id reverà non esse tam certum de secundà ac tertià, quàm de primà tentatione. Unde illud etiam non dicimus; sed equidem verisimile est quod diabolus, videns se in primà tentatione nihil potuisse cognoscere, tunc Christum tentaverit ad peccatum, ut si aliquo modo peccasset, inde concludere potuisset, ipsum certò non esse Deum.

QUESTIO IV.

De variis aliis hæc spectantibus.

Quæres 1^o quis fuerit ille diabolus qui Christum tentavit.

Resp. Communiter putatur quod fuerit Lucifer, seu demonum princeps, ut, quæst. præced., ex S. P. Aug. dictum est. Videtur autem Deus permisisse Luciferum tentare Christum, ut ipse Christus triumpharet de principe diabolorum.

Quæres 2^o quid significet illud Christi responsum: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.*

Resp. Quod Deus non indigeat pane, ut hominem nutriat; quia omne verbum, id est, omnis res, potest esse cibus, quando Deus vult; adeoque quod non sit necesse, ut Deus lapides convertat in panes, ut habeat homo cibum, quia lapides ipsi possunt esse cibus, quando Deus vult.

Quæres 3^o an diabolus citaverit rectè in proprio litterali sensu textum psalmi 90: *Scientiis suis mandavit de te.*

Resp. negativè. Nam textus ille non agit de Christo, sed de hominibus justis, in Deo sperantibus, ne in tentatione deficiant, sustentandis et protegendis ab angelo custode: Christus enim non habuit angelos custodes, sed servos et ministros, ut docet D. Thom., 1 p., q. 115, a. 4; ipse namque melius poterat se custodire, quàm omnes angeli simul.

Putant aliqui S. Augustinum, enarrat. in psal. 90, illa verba etiam intelligere de Christo; sed sciendum est quod intelligat de Christo in membris ejus, id est, de Christi fidelibus, ut patet legendi. Eodem sensu explicandi sunt Irenæus et Ambrosius, qui videtur insinuare quod ille loens de Christo intelligatur.

Quæres 4^o utrùm diabolus Christum per aera deduxerit.

Resp. Auctor libri de Operibus Christi cardinalibus, inter opera S. Cypriani, dicit Christum à suo spiritu

ductum esse in desertum, et supra pinnaculum templi; id est, à Spiritu sancto. Sed hæc opinio repugnat aperte verbis Matthæi: *Assumpsit eum diabolus, et Luca: Duxit illum.*

D. Thomas in cap. 4 Matthæi dicit: *Queritur quomodo assumpsit Christum diabolus? Dicitur quod portavit illum super se; alii, et melius, quod exhortando induxit ad hoc quod iret, et Christus ex dispositione suæ sapientie ivit in Jerusalem.*

Nec obstat videtur quod Matthæus dicat: *Assumpsit eum;* nam etiam idem evangelista, cap. 47, dicit: *Assumpsit Jesus Petrum et Jacobum, et Joannem, et duxit illos in montem excelsum.* Ex his tamen verbis non sequitur quod duxerit illos per aera; ergo nec id videtur sequi ex aliis, Aitamen

Resp., et dico: Verisimilius est quod diabolus Christum duxerit per aera. 1^o Quia alias Christus irisset Jerusalem, demone suadente; adeoque visus fuisset illi morem gerere. 2^o Quia dicit evangelista: *Et statuit illum super pinnaculum templi, quod insinuat ductum fuisse Christum per aera.* 3^o Quia hæc est sententia S. Gregorii, hom. 16 in Evangelia, D. Bonaventura in Vita Christi, et etiam ipse D. Thomas hæc admittit in Summâ, 3 p., q. 41, a. 4, ad 7; ubi sic scribit: *Dicendum quod, sicut Chrysost. dicit (id est, auctor Operis imperfecti), diabolus sic Christum assumpsit in pinnaculum templi, ut ab omnibus videretur; ipse autem, nesciente diabolo, sic agebat ut à nemine videretur.*

Dices: Indè sequitur quod Christus permiserit se portari à diabolo: atqui hoc est absurdum; ergo.

Resp. cum S. Gregorio supra citato: *Quid mirum, si se permisit à diabolo in montem duci, qui se permisit à membris illius crucifigi? Noluit itaque Christus diabolo portanti resistere, ne ex illà resistentiâ divina ejus potentia agnosceretur. Præterea, inquit Euthymius, permisit inimico ducere se quò luberet, et pugnare sicut vellet, ut indequâque victus solus ansugeret.*

Quæres 5^o quò ordine tentationes Christi contigerint.

Resp. Verisimilius eo ordine quo Matthæus eas recenset, non quo Lucas, qui tentationem præcipiti ponit tertiam. Nam Matthæus utitur particulis ordinem indicantibus, *iterum, et tunc reliquit eum;* et ipse ordo tentationum diaboli talis esse solet, ut levioribus graviores succedant, hisque verbis: *Vade, Satana, verisimile est diabolum discessisse, quæ tamen non nisi in monte dicta sunt.* Lucas igitur narrat tentationes quoad substantiam, sed ordinem rei gestæ non servat.

Quæres 6^o quale tempus intelligat Lucas, dicit, c. 4, v. 15, dicit quod consummatà omni tentatione, diabolus recesserit à Christo usque ad tempus, scilicet opportunum; et colligit Tirinus ex textu Græco.

Resp.: Interpretes communiter putant quod intelligat tempus Passionis, de quo dicit Dominus apud eundem evangelistam cap. 22, v. 25: *Hæc est hora vestra, et potestas tenebrarum.* Et Joan. 14, v. 30: *Venit princeps hujus mundi, etc.* Porro non videtur dia-

bolus tentasse postea Christum per se, sed per membra sua, nempe per impios Judeos in eruce pendenti insultantes, Matth. 27, v. 42: *Si rex Israel es, descendat nunc de cruce, et credimus tui. Confidit in Deo: liberet nunc, si vult, eum; dixit enim: Quia filius Dei sum.*

CAPUT IX.

Post tentationes consummatas et speratas, venit Jesus ad ripas Jordanis, tuncque Joannes Baptista legalis quos ad ipsum miserant proceres Judæorum respondit, se Christi seu Messie præcursorem esse, non ipsum Christum. Post hæc legationem Jesus venit ad Joannem, à quo declaratus est Agnus Dei verusque Messias ab omnibus expectatus. Andream et Petro Jesus primùm innotescit, et vocat Philippum, qui Nathanaeli eum patefecit, cum quo Jesus colloquitur. Venit Jesus in Gallæam, inter nuptias factis in Cana Gallææ, ubi aquam mutat in vinum. Joan., cap. 1, à v. 15 usque ad v. 11 capituli 2.

QUESTIO PRIMA.

Quotuplex Joannes Baptista de Christo dederit testimonium.

Resp.: Dedit quadruplex. Primum dedit ante baptismum Christi, de quo agit Matth. 3, v. 11: *Ego quidem baptizo vos in aquâ in penitentiam; qui autem post me venturus est, fortior me est, cujus non sum dignus calcemata portare: ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni.* Testimonium hoc dedit occasione quam explicat Lucas, cap. 5, v. 15: *Existimante autem populo et cogitantibus omnibus in cordibus suis de Joanne, ne forte ipse esset Christus; vers. 16: Respondit Joannes, dicens omnibus: Ego quidem aquâ baptizo vos: veniet autem fortior me, cujus non sum dignus solvere corrigiam calcematorum ejus; ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni.*

Secundum testimonium dedit, Joan. 1, v. 26, post Christi tentationem, illi sacerdotibus et Levitis, qui ad eum missi fuerant, respondit: *Medius autem vestrum stetit, quem vos necistis; v. 27: Ipse est qui post me venturus est, qui ante me factus est; cujus non sum dignus, ut solvum ejus corrigiam calcemanti.* Hoc esse diversum à primo inde liquet, quod primum datum sit à Joanne Baptista ad turbas, antequàm Christus baptizatus esset; quod Joannes, utpote ab aliis evangelistis enarratum, videtur omisisse: hoc verò post Christi baptismum sacerdotibus et Levitis à Jadsis ad Joannem Baptistam missis datum fuit. Et sic primum erat quasi privatum, secundum autem erat publicum et juridicum, utpote à pontificibus juridicè postalatum et acceptum per legatos ad Joannem missos. Dicitur enim Joan. 1, v. 19: *Et hoc est testimonium Joannis, quando miserunt Jadsæ et Jerosolymis sacerdotes et Levitas ad eum.*

Tertium testimonium datum est alterâ diè, seu postridiè istius diei, quo Joannes satisfecerat legationi Judæorum; de quo testimonio dicitur Joan. 1, v. 29: *Alterâ diè vidit Joannes Jesum venientem ad se, et ait: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.*

Quartum juxta aliquos datum est, *altera die*, id est, postmodò testimonii illius proximè perhibiti Christo presentì. Sic enim narrat evangelista Joannes cap. 1, v. 35: *Alterà die iterum stabat Joannes, et ex discipulis ejus duo. Et respiciens Jesum ambulante, dicit: Ecce Agnus Dei.* Et post hoc Joannis testimonium duo ex discipulis ejus, quorum unus erat Andreas, secuti sunt Christum.

Sunt tamen multi qui putant quòd Joannes Baptista, occasione discipulorum suorum emulantium, quartum testimonium dederit, Joan. 5; eo scilicet tempore, quo baptizabat in Ænon juxta Salim; et hi inter testimonia Joannis de Christo data non ponunt illud, quòd datum fuit coram Andréa, et altero Joannis discipulo; idque fortè ideò, quia illud non fuit datum adèò publicè, seu coram multis, sicut data fuerunt alia testimonia.

Petes 1^o: Quomòdò Joan. 1, v. 15, Christus dicitur venisse post Joannem; item cur dicitur factus ante Joannem, et ipso prior.

Resp. ad primum: Dicitur venisse post Joannem, scilicet ad baptizandum, et concionandum: siquidem post incarcerationem Joannis tantum incipit publicè concionari; ut dicitur infra, cap. 11, quæst. 2.

Resp. ad secundum: Christus non dicitur factus ante Joannem, quatenus homo, quia eatenus erat sex mensibus junior: nec etiam quatenus Deus, quia eatenus non est factus, sed genitus. Dicitur ergo Christus factus ante Joannem, id est, factus dignior seu prastantior Joanne. Unde verba illa Joannis: *Ante me factus est, idem significant quòd: Mihi antepositus est dignitate.* Ita S. P. Aug., tract. 5 in Joan. Hinc Ven. Beda dicit: *Quod ait: ANTE ME, non ad ordinem temporis, sed ad distantiam perinet dignitatis.* Eodem modo loquuntur S. Chrysost., Cyrillus, Theophylactus, Euthymius, et interpretes communiter. Et id suadetur ex verbis sequentibus: *Quia prior me erat.* Quibus significat causam, cur Christus sit factus prastantior, scilicet quia ipsum superabat æternitate, et divinitate nam in principio erat Verbum.

Petes 2^o, an admitti possit sensus S. Epiphani, qui hæresi 51, pro: *Ante me factus est*, legit: *Ante me fuit.*

Resp. negativè, quia non coheret aptè cum sequentibus verbis: *Quia prior me erat.* Hic enim sensus: *Ante me fuit, quia prior me erat*, est omninò ineptus.

QUESTIO II.

Cujus sint verba, Joan. 1, v. 16.

Immediatè post verba mox relata: *Quia prior me erat*, sequitur, v. 16: *Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus, et gratiam pro gratià; quia lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est.* Quæritur hic an illa verba sint Joannis Baptiste, an et verò sint verba Joannis evangeliste.

Resp. et dico 1^o: Juxta S. P. Aug., tract. 15 in Joan., n. 8, et lib. de Gratià et libero Arbitrio, cap. 9, S. Basilium in Psalm. 28, Origenem in hunc locum, S. Cyprianum, lib. de Baptismo, Rupertum et Theo-

phylactum, verba illa sunt Joannis Baptiste.

Prob. 1^o, quia verba immediatè precedenti sunt verba Joannis Baptiste; ergo etiam et immediatè sequenti: siquidem nulla alia persona loquens in textu interponitur.

Prob. 2^o, quia evangelista dixerat, quòd Verbum caro factum, fuisset plenum gratiæ et veritatis; atque illa verba: *De plenitudine ejus nos omnes accepimus, etc.*, optimè confirmant veritatem horum: *Plenum gratiæ et veritatis.* Ergo verisimiliss sunt verba Joannis Baptiste.

Prob. conseq. Si sint verba evangeliste, sequitur quòd evangelista probet veritatem suæ propositionis ex proprio suo testimonio; si verò sint verba Joannis Baptiste, sequitur quòd evangelista probet suam propositionem ex testimonio Joannis Baptiste. Atque verisimiliss est quòd evangelista probet suam propositionem per testimonium Joannis Baptiste quàm per proprium: nam alias idem per idem, sive unam auctoritatem per eandem probaret. Deinde alienum testimonium (præsertim magni Joannis Baptiste, qui fuit missus à Deo, ut testimonium perhiberet veritati) multò est efficacius quàm proprium; ergo, etc.

Dico 2^o: Juxta S. Cyrillum, Chrysostomum, Bedam, Lyranum, Estinum et Jansenium Gandensem, cap. 16 Concordiæ evangelicæ, prædicta verba sunt verba Joannis evangeliste.

Prob. 1^o, quia verba, de quibus est questio, videntur esse parenthesi conclusa: nam hoc supposito, evangelista rectè constructione, et recte ordine dationem cur Christus in mundo apparerit plenus gratiæ et veritate; quia nempe de ejus plenitudine gratiæ omnes gratiam acceperunt. Adeoque illa verba: *Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus*, non faciunt probationem à testimonio, sed ab effectu; quasi diceret: Fuit plenus gratiæ, ut patet ex eo quòd nos ab ipso gratiam accipiamus. Vel etiam sic: Christus accepit omnem gratiam à Deo, et nos ab ipso; qui sensus non est ineptus, sed apertissimus.

Prob. 2^o, quia ista verba rectius coherent cum antecedentibus verbis evangeliste, scilicet: *Plenum gratiæ et veritatis*, quàm cum antecedentibus Baptiste, videlicet: *Quia prior me erat.*

Prob. 3^o, quia eadem verba etiam magis congruunt tempori Joannis evangeliste, quàm Baptiste. Siquidem eo tempore quo Joannes Baptista dedit testimonium de Christo, necdum Christus inceperat prædicationem suam; adeoque tunc nondum homines ita participes facti erant gratiæ Christi, sicut erant tempore Joannis evangeliste. Et sic tempore Joannis Baptiste non adèò congruè dicere poterant: *De plenitudine ejus nos omnes accepimus*, uti poterant tempore Joannis evangeliste.

Hæc secunda opinio satis plausibilis est; et qui vult eam sustinere, ad auctoritatem S. Augustini respondere potest, quòd ipse priorem sententiam non defendat, sed tantum supponat ut veram, quia indifferens erat ad ejus intentum, scilicet ad probandum

gratiam Christi dari hominibus, utrum essent verba evangeliste, vel Baptiste; et juxta priorem sententiam loquitur, quia illa fortè erat communis in Africa, ob auctoritatem S. Cypriani.

QUESTIO III.

Quomòdò quedam alia hic spectantia resolvantur.

Quæres 1^o quid significetur, Joan. 1, v. 16: *Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus, et gratiam pro gratià.*

Resp.: Aliqui cum Estio, per gratiam pro gratià intelligunt legem novam pro lege veteri. Lex vetus non rectè vocatur gratia, cum gratiam nullam daret. Unde et ipso evangelista legem veterem gratiæ opponit, immediatè subjungens: *Quia lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est.*

Alii intelligunt gratiam super gratiam; id est, gratiam multam, seu cumulata. Sed *si pro non nisi valde impropiè sumitur pro super*, præsertim cum dictio Græca *ὑπὲρ*, quæ utitur evangelista, indicet permutationem, cum res una pro altera datur; ut Deuter. 19: *Oculum pro oculo, dentem pro dente.*

S. P. Aug., tract. 5 in Joan., et Beda dant hunc sensum: Accipimus gratiam æternæ gloriæ pro gratià fidei, charitatis et bonorum operum.

Dionysius Carthusianus et Toletus dant alium sensum, qui etiam bonus est, nempe: Accipimus de plenitudine Christi gratiam nostram, pro gratià ipsius Christi. Data est nobis gratia nostra pro gratià illius; nam per gratiàm Christi consequimur gratiam nostram. Simile est locus ille Pauli ad Rom. 5, v. 15: *Si unus delicto multi mortui sunt; multo magis gratia Dei et donum in gratià unius hominis Jesu Christi in plures abundavit.* Id est, gratia Dei abundavit, et multis hominibus donata est in gratià; hoc est, per gratiam, vel pro gratià unius hominis Jesu Christi.

Denique potest quoque bonus esse hic sensus: De plenitudine Christi accipimus gratiam justificationis, pro gratià, sive donò prædestinationis. Nam utramque gratiam ex plenitudine Christi accipimus; ut dicitur ad Ephes. 1, v. 5.

Quæres 2^o quare Judæi miserint ad Joannem Baptistam legatos interrogantes eum an esset Messias: cum Joannes esset de tribu Levi, et sacerdotali familia Aaron, et ipsi benè scirent Messiam futurum ex tribu Juda, et familià regali Davidis.

Resp. 1^o legatos illos Joannem interrogasse tumultuariè et audacter, quia à populo putabatur Messias aut propheta: nam etiam benè sciebant quòd Joannes esset filius Zachariæ, et actate juvenis, atque adeò quòd non posset esse Elias; et tamen ipsum interrogant, an ipse sit Elias.

Resp. 2^o salvis aliorum sententiis, illos tunc non scivisse, ex quâ tribu, quâ familià, quâ civitate, loco, aut ex quibus parentibus oriundum esset Joannes; quia semper fuerat in deserto, et ex eo quasi inopinatè et subito ad baptizandum venerat; ut constat ex evangelistis.

Quæres 3^o an Judæi bis miserint legatos ad Joannem.

Ratio dubitandi est quia evangelista Joannes, cap. 1, v. 19, dicit quòd illi legati fuerint sacerdotes et Levitæ; et v. 24, ait: *Et qui missi fuerant, erant ex Pharisæis.* Hinc colligit Origenes semel missos fuisse sacerdotes, et semel Pharisæos.

Resp. tantum semel missos fuisse legatos, eosque sacerdotes et Levitæ, qui erant sectâ Pharisæi. Notat autem evangelista illos fuisse Pharisæos, fortè ideò quia petebant à Joanne an esset unus ex prophetis. Hoc enim non petivissent alii sacerdotes, qui erant sectâ Sadducei: nam hi negabant immortalitatem animæ, et resurrectionem mortuorum. Et forsitan ob hanc causam alii Pharisæi hoc petebant à Joanne, ut si ipse affirmasset se esse unum ex prophetis, tantò fortius suam sententiam contra Sadduceos probassent, quales erant multi ex principibus sacerdotum; ut constat ex Act. 5, v. 17.

Quæres 4^o quomòdò Joannes Baptista in veritate potuerit dicere de Christo: *Ego nesciebam eum*, etc., quandoquidem Christum novisset, dum à Nazareth venit ad Jordanem, ut ab ipso baptizaretur; ut liquet ex Math. 5, v. 14, ubi Joannes ad eum ait: *Ego te debeo baptizari, et tu venis ad me?*

Respondeo cum S. P. Aug., tract. 6 in Joan., Joannem Baptistam quidem Christum novisse, antequam vidisset columbam super ipsum descendere; imò antequam Christus veniret ad Jordanem, ut ab eo baptizaretur; sed tamen aliquid ignorasse, quòd per descensum columbæ didicid, scilicet: quendam proprietatem in Christo talem futuram, ut quamvis multi ministri baptizaturus essent, sive justi sive iniusti, non tribuerent sanctiatis baptismi, nisi illi super quem descendi columba, de quo dictum est: *Hic est qui baptizat in Spiritu sancto.* Petrus baptizet, hic est qui baptizat. Nam si pro diversitate mentorum, baptismus sanctorum est, quia diversa sunt merita, diversa sunt baptismata; et tantò quisque aliquid melius putatur accipere, quanto à meliore videtur suscipisse.

QUESTIO IV.

Quisnam fuerit Nathanael, de quo Joan. 1, v. 45.

Respondeo et dico: Nathanaelem, quem Philippus adduxit ad Jesum, fuisse Bartholomeum apostolum putant à Lapide, Estius et nonnulli alii. At tamen verisimiliss apparet quòd Nathanael non fuerit apostolus, adeoque nec Bartholomeus.

Prob. 1^o ex S. P. Aug., tract. 7 in Joan., n. 16 et 17, ita scribente: *Magnum testimonium..... quod dictum est de Nathanael: Ecce verè Israelita in quo dolus non est. Quid ergo facimus, fratres? debet iste primus esse in apostolis? Non solum primus non invenitur in apostolis, sed nec medius, nec ultimus inter duodecim Nathanael est, cui tantum testimonium perhibuit Filius Dei, dicens: Ecce verè Israelita in quo dolus non est. Quæritur causa? Quantum Dominus intimat, probabiliter invenimus. Intelligere enim debemus ipsum Nathanaelem eru-*

ditum et peritum legis fuisse; propterea noluit illum Dominus inter discipulos ponere; quia idiotas elegit, unde confunderet mundum. Et hoc probat S. doctor ex Apostolo, 1 Cor. 1, v. 26.

Nec dici potest Augustinum tantum probabiliter asserere Nathanaelem non fuisse apostolum. Quia, ut ex textu clarè patet, non dicit tantum esse probabile quòd Nathanael, non fuerit apostolus, sed causam vel rationem quam adducit, cur non fuerit apostolus, esse probabilem, seu plausibilem; licet fortè genuina ratio sit soli Deo seu Christo nota.

Prob. 2. ex S. Thomà, qui, lect. 16 in cap. 1 Joan. ita habet: « Ratio autem quare Nathanael non eligitur in apostolum post tantam fidei confessionem, ista est, quia Christus noluit quòd mundi conversio ad fidem ascriberetur humane sapientie, sed solum potentie Dei. Et ideò non voluit Nathanaelem in legem peritissimum, in apostolum eligere, sed simplices, et indoctos elegit (ut dicitur 1 Cor. 1.) »

Porro quòd Nathanael fuerit legisperitus, præter Augustinum et Thomam, etiam docent Theophylactus, Euthymius et D. Cyrillus, qui ait ipsum fuisse legis totiusque prophetarum peritum. Idem sentit Lyranus, et ex illis verbis: « Nazareth potest aliquid boni esse? illud deducit, sive verba illa sumantur assertivè, prout reverà sumi possunt, et prout illa sumit Augustinus, sive sumantur dubitativè et interrogativè, prout illa sumit Chrysostomus, et jam in Bibliis communiter habentur: nam tunc sensus verborum Nathanaelis crit hic: Quòd Messias vocetur Jesus, et quòd dicitur filius Joseph, potest esse verum; sed an possit esse Nazareus, multum dubito; quia propheta Michæas, cap. 5, dicit ipsum nasciturum in Bethleem: atamen non absolute nego ipsum futurum ex Nazareth; quia etiam dictum est per prophetas: Quoniam Nazareus vocabitur, Matth. 2, v. 25. Non ergo absolute nego, sicut turba, Joan. 7, sed dubito. Quid tibi videtur, Philippe? Potestne à Nazareth venire Messias? Philippus idiota non valens hoc dubium resolvere, respondebat: Veni et vide, quasi diceret: Ego non possum hoc distinguere, sed tu, qui es vir doctus, veni, et videbis an res sic se habeat. Ita ferè Lyranus.

Dices: S. Paulus fuit legis peritissimus; atqui tamen Dominus elegit ipsum in apostolum; ergo ratio ob quam S. August. et D. Thom. dicunt Nathanaelem non fuisse electum in apostolum, non subsistit.

Resp. Disting. min. Atqui Dominus elegit ipsum in apostolum post ascensionem, concedo. Ante nego min. Voluit enim Dominus post ascensionem suam, inter apostolos suos habere viros doctos, ne illos videretur continere; sed ante ascensionem similes inter apostolos non admisit; sicuti, quamvis ante ascensionem non admisit apostolos aut discipulos, nisi Judæos, tamen post ascensionem admisit gentiles ex omni natione.

Prob. 3. Si Nathanael alio nomine vocatus fuisset Bartholomæus, saltem unus evangelista id insinuas- set: atqui tamen ne vel unus id insinavit; ergo, etc. Præterea, cum nomen Bartholomæi esse in frequentiori usu, Joannes potius illo nomine ipsum vocasset, vel saltem utroque. Cur enim, sicut cap. 21, v. 2, dixit: Thomas, qui dicitur Didymus, non dixisset similiter: Nathanael qui dicitur Bartholomæus? Non enim Bartholomæus est nomen patronymicum, uti putant nonnulli; sed est nomen proprium, æquè ac Barabbas, Barnabas, Benjamin, etc.

Obj. 1.º: Si Nathanael non sit idem cum Bartholomæo, nullibi in toto Evangelio invenitur vocatio Bartholomæi: atqui non possumus admittere, quòd hæc nullibi sit descripta; ergo, etc.

Resp. Neg. min. et conseq. Nam etiam nullibi invenitur ac descripta legitur vocatio Thomæ, Jacobi Alphai, Thaddæi et Simonis Chananæi; et tamen inde non potest concludi quòd Nathanael sit unus ex illis apostolis; ergo nec ex argumento proposito, ullo modo concludi potest quòd sit idem cum Bartholomæo.

Obj. 2.º: Tres evangelistæ qui nominant Bartholomæum, nullibi loquuntur de Nathanaele; et Joannes, qui nominat Nathanaelem, nullibi loquitur de Bartholomæo: ergo signum est quòd ille qui ab aliis vocatur Bartholomæus, sit idem qui à Joanne vocatur Nathanael.

Resp. Neg. conseq. Nam Joannes nullibi loquitur de Bartholomæo, quia ferè nullibi loquitur de omnibus apostolis. Sic quamvis, nullibi loquitur de Jacobo fratre suo, nec de Jacobo Alphai, nec de Matthæo, nec de Simone Chananæo; non sequitur quòd Nathanael sit unus ex istis. Item solus Joannes loquitur de Nicodemo; et non inde tamen ullo modo sequitur quòd Nicodemus fuerit unus ex illis apostolis quos alii evangelistæ nominant, et Joannes non nominat. Erat autem etiam Nicodemus legisperitus, et magister in Israel (Joan. 3); erat quoque discipulus Christi, non tamen apostolus: ergo similiter videtur dicendum de Nathanaele.

Obj. 3.º: Alii evangelistæ jungunt semper Philippum cum Bartholomæo, et Joannes juxta semper Philippum cum Nathanaele; ergo Nathanael est idem cum Bartholomæo.

Resp. Neg. ant. Nam Marcus, cap. 5, omnes apostolos disjungit; et Lucas, Act. 1, v. 15, jungit Philippum cum Thomà, et Bartholomæum cum Matthæo. Joannes autem nequidem semel jungit Philippum cum Nathanaele, præterquam c. 1, v. 45, ubi dicit Philippum vocasse Nathanaelem; nam de Nathanaele amplius non loquitur, nisi cap. 21, ubi ipsum ponit apud Petrum et Thomam, et de Philippo ibidem nullam facit mentionem. De Philippo autem, extra cap. 1, loquitur adhuc alibi, puta cap. 6, v. 14; et tamen ibidem nullam facit mentionem de Nathanaele.

Obj. 4.º: Joan. 27, v. 2, jungitur Nathanael cum apostolis Petro, Thomà, Joanne et Jacobo, in piscatione; ergo fuit ipse etiam apostolus.

Resp. Neg. conseq. Poterat enim esse cum apo-

stolis, quamvis ipse non esset apostolus: sicuti Lucae 24, v. 55, discipuli reversi ex Emmaus erant cum undecim apostolis, quamvis ipsi non essent apostoli.

Obj. 5.º: Christus Nathanaelem plurimum dilexit: dat enim ipsi elogium maximum Joan. 1, v. 47: Ecce verè Israelita in quo dolus non est. Et Nathanael vicissim, v. 49, reddit, Christo hoc: Tu es Filius Dei, tu es rex Israel. Atqui non est credibile quòd Christus talem virum non fecisset apostolum; ergo, etc.

Resp. Neg. min. propter rationem quam supra attulimus ex S. Augustino, et D. Thomà. Item ad similia ena S. Marco, c. 5, v. 13, responderi potest: Vocavit ad se quos voluit ipse.

QUÆSTIO V.

An Joannes evangelista fuerit sponsus in nuptiis in Cana Galilææ.

Tertià die post adventum Christi in Galileam factæ sunt nuptiæ in Cana Galilææ, quibus ipse cum matre suà, et discipulis, quos tunc habebat, interfuit. Nonnulli antiqui inter quos Rupertus, putaverunt S. Joannem evangelistam fuisse sponsum harum nuptiarum. Sed id nullo modo verum esse apparet.

Prob. 1.º, quia Christus, ut docent Patres concilii Ephesini, ideò venit ad nuptias, ut nuptiis benediceret; ergo non ivit, ut illas dissolveret avocando sponsum; sed potius ivit ut easdem suà benedictione arcuè conjungeret, seu confirmaret.

Prob. 2.º: Christus propterea voluit nuptiis interesse, ut nuptias esse licitas, et à Deo esse ostenderet, contra futuros hæreticos, qui dicitur erant nuptias esse illicitas, et à diabolo inventas: Atqui non id Christus facti suo probasset, si eas ante consummationem dissolvisset: Siquidem hæretici propter carnalem copulam illicitas esse nuptias doxerunt. Unde ex facto Christi majorem stabilendi sui dogmatis occasionem arripere potuissent.

Prob. 3.º, quia præfata opinio detrahit aliquid perpetuæ virginitati S. Joannis: nam admittit eum aliquando contraxisse matrimonium, et uxorem habuisse, quam hand dubiè cognovisset, nisi præter opinionem inde abstractus à Christo fuisset.

Prob. 4.º ex S. P. Aug., tract. 124 in Joan., ubi dicit: « Sunt qui senserint, et hi quidem non contempnibiles sacri eloquii tractatores, à Christo Joannem Apostolum propterea plus amatum, quòd neque uxorem duxerit, et ab ineunte pueritia castissimus vixerit. Hoc quidem in Scripturis canonicis non evidenter apparet: verumtamen id quoque adjuvat congruentiam hujus sententiæ, quòd illa via per eum significata est, ubi non erunt nuptiæ. »

Prob. 5.º ex S. Hieron., lib. 1 contra Jovinianum cap. 14, ubi cum Jovinianus conaretur probare melius esse virginitate matrimonium, eo argumento quòd Christus Ecclesiæ præcipit non Joanni virginem, sed Petro conjugato commiserit, respondet Hieronymus: *Atque delatum est, quia Petrus senior erat.* Atqui, si

Hieron. sensisset Joannem in his nuptiis fuisse sponsum, hoc modo non respondisset, nec eodem cap. paulò ante dixisset: « Quem fides Christi virginem repererat, virgo permansit, et ideò plus amatur à Domino, et recombuit super pectus Jesu. Et quod Petrus, qui uxorem habuerat, interrogare non audeat, illum rogat ut interroget. » Ergo ex S. Hieronymo satis clarum est, quòd Joannes nunquam fuerit matrimonio junctus.

Obj. 1.º: S. Augustinus manifestè docet quòd Joannes fuerit sponsus in nuptiis in Cana Galilææ. Nam præfat. in Joan., ita scribit: *Iste quidem est Joannes, quem Dominus de fluctibus nuptiarum tempestate vocavit, et cui matrem virginem virginem commendavit.*

Resp. Neg. assumpt. Nam istam præfationem non esse S. Augustini, ex editione operum ipsius patet: sic enim ante istam præfationem habetur: *Præfatio. Incertum cujus, nam Augustini non esse, res ipsa clamavit.*

Obj. 2.º: S. Hieron., lib. 1 cont. Jovinian., c. 14, de Joanne dicit: *Martus et virgo.*

Resp. S. Hieron. hæc duo non dicere de Joanne; sed virgo referat ad Joannem, et martus ad Petrum; ut patet ex contextu.

Obj. 3.º: S. Thom. 2.2, q. 186, a. 4, ad 1, dicit: *Petrum, quem invenit matrimonio junctum, non separavit ab uxore. Joannem tamen volentem nubere à nuptiis revoavit.*

Resp. S. Thom. illam questionem ibi non tractare, adeoque tantum agere ex suppositione, quòd vera esset illa sententia Ruperti, ejus temporibus fortè communis. Insuper dici potest quòd D. Thom. per *volentem nubere* non intelligat sponsum; nam sponsus non tantum vult nubere, sed modò nuptus est, saltem quando jam nuptiæ celebrantur. Videtur ergo D. Thom. per *volentem nubere* intelligere adolescentem, qui initurus fuisset matrimonium. Unde sensus verborum D. Thomæ videtur esse hic: Joannem juvenem vocavit ad se, ne nuptias more gentis suæ contraheret. Quia juxta ipsum 3 p., q. 28, a. 4, 0, in veteri lege non solum volebant nubere; sed etiam oportebat generationi insistere tam mulieres quam viros.

QUÆSTIO VI.

An Christus in nuptiis in Cana Galilææ reprehenderit D. Virginem.

Cum in nuptiis in Cana Galilææ vinum defecisset, D. Virgo rogat Christum, ut vini defectum suppleat; cui Christus, Joan. 2, v. 4, respondit: *Quid mihi et tibi est, mulier? Nondum venit hora mea.* Admiranda videtur hæc à filio matris amantissimo, matri charissime data responsio: videtur enim continere repulsam et reprehensionem, prout aliqui etiam Catholici opinati sunt. Sed hæc opinio repugnat summae venerationi, quam sanctissima Virgini debemus. Quare

Resp. et dico 1.º: Verba illa Christi nullam reprehensionem continent.

Probatur, quia D. Virgo nullam culpam commise-

rat; ergo nullam reprehensionem merebatur.

Prob. ant., quia omnis culpa, de qua aliqui D. Virginem insulant, reducitur ad tria capita: 1° Nonnulli putant ipsam laborasse nimia inquietudine, seu sollicitudine circa rem ad se non pertinentem. 2° Alii dicunt, ipsam nimis precipitanter petivisse miraculum. 3° Alii volunt illam miraculum petivisse ex vanâ gloriâ; ut omnes viderent quod haberet talem filium. Atqui nefas est talia cogitare de Virgine sanctissimâ, quæ ab omni peccato etiam veniali semper immunis fuit; ergo, etc.

Præterea illi qui asserunt D. Virginem à Christo fuisse reprehensam, detorqueant verba Scripturæ ad sensum à literâ prorsus alienum; nam primi dicunt quod illa verba: *Quid mihi et tibi est, mulier?* significant: *Quid meâ et tuâ refert, quod non habeant vinum?* Sed difficile est istum sensum ex istis verbis seligere, tum quia repugnat recta syntaxi, tum quia similes phrasæ in Scripturâ semper sumuntur pro: *Quid mihi tecum est, vel: Quid tibi mecum est*, scilicet in hoc negotio, *agendum?* Ita sumitur 2 Reg. 16: *Quid mihi et vobis, filii Sarræ?* Item, 4 Reg. 9, v. 19, nuntio regis Joram petenti an esset pax, respondet Jehu: *Quid tibi et paci?* Id est, quid tibi cum pace? Luca 8, dicit dæmon: *Quid mihi et tibi est, Fili Dei altissimi?* Id est, quid mihi tecum? Et Matth. 27, v. 19, uxor Pilati jubet illi dici: *Nihil tibi et justo illi.* Hoc est, nihil tibi negotii sit cum illo justo.

Deinde, si rem magis inspicere velimus, ista sollicitudo non erat reprehensibilis. Siquidem etiam Christus bis sollicitus fuit, ne turbæ in deserto deficerent præ fame, idèoque illas bis, multiplicatis panibus, pavit. Potuissent discipuli tunc ipsi dicere: *Quid tuâ et nostrâ refert quod deficiat præ fame?*

Denique juxta præfatam opinionem D. Virgo commiserationem habuit cum sponsis; et Christus, qui multo majorem charitatem habebat, quam D. Virgo, non habuisset commiserationem; et quidem in tantum ut diceret: *Quid ego curo quod non habeant vinum?* Certè miraculum probat omnino aliud: nam pro aliquot pintis, quibus adhuc indigebant, dedit illis sex hydrias plenas, quæ omnes simul continebant circiter ducenta pecula brabantica, vel saltem quadringentas novendecim pintas parisienses, ut vult auctor Analyseos.

Qui dicunt Mariam nimis citò petivisse miraculum, putant se id rectè colligere ex verbis Christi: *Nondum venit hora mea*, id est, illud momentum, quod pater ab æterno decrevit, quo facerem primum meum miraculum. Hæc opinio reddit aut petitionem Mariæ valdè indiscretam, aut reprehensionem Christi valdè injustam. Nam si miraculum reverâ factum fuerat illo momento quo fieri debebat, et tunc etiam hora Christi advenerat, certè non potuit Maria miraculum petere tempore magis opportuno: quia inter petitionem et miraculum non fluxit longius tempus, quam ut famoli admonerentur, et repleverent hydrias. Ubi ergo

jam est justa causa hujus reprehensionis: *Nondum venit hora mea?*

Responderebunt fortè quod D. Virgo habuerit intentionem obligandi Christum ut faceret miraculum eodem momento quo ipsa petebat. Sed oportet ut omnem venerationem erga D. Virginem exerceat, qui capax est talia cogitandi; et ipsa humillima Virgo istam imaginationem falsitatis apertè convincit, v. 5, dicendo: *Quodcumque dixerit vobis, facite.* Quibus verbis satis ostendit quod filio suo nec tempus, nec modum faciendi miraculum imponat.

Dices: Debebat prius omnibus convivis innotescere quod vinum defecisset, aliàs miraculum ipsis non innotuisset; et idèò nondum venerat hora Christi, dum Maria miraculum petebat.

Resp. 1° indè certum evadere quod Maria miraculum non petiverit ex vanâ gloriâ, prout aliqui nimis irreverenter opinati sunt. Interim directè.

Resp. 2° Neg. assumpt. Quia certum est quod tunc modo vinum defecisset: nam dicit Evangelista: *Deficiente vino.* Et Maria admonebat Christum dicens: *Vinum non habent.* Certum est pariter quod ille defectus nondum innotuisset convivis; et idèò præcisè ne ipsis innotuisset cum venerat sponsorum, Maria imploravit auxilium Christi. Jam verò quis crederet quod Christus voluerit expectare, donec sponsi rubore confunderentur? Et quod amplius opinionem istam confutat, est hoc: Certum est quod, quando Christus aquam in vinum convertit, nondum convivis innotuisset defectus vini; nam gustato vino miraculoso mirabatur architriclinus quod sponsus, contra morem illius temporis et regionis, servasset optimum vinum usque ad finem convivii. Ergo Christus non expectavit donec omnes scirent vinum defecisse: ergo etiam non reprehendit matrem suam, quia ipsa petiverat miraculum, antequam convivæ scirent vinum defecisse.

Dices: S. Chrysost., hom. 20 in Joan., ad illa verba: *Vinum non habent*, de D. Virgine ita loquitur: « Optabat enim ut jam hominum gratiam conciliaret, et et ipsa clarior filii gratiâ efficeretur, et fortassè aliquid quo humano afflictiatur affectu, quemadmodum et fratres ejus cum dixerunt: *Ostende teipsum mundo; et cupidi ejus miraculis sibi famam comparare, idèò et asperius respondit: Quid mihi et tibi, mulier? Nondum venit hora mea.* » Ergo juxta S. Chrysost., idèò D. Virgo petivit miraculum, ut seipsam clariorem faceret per Filium. Atqui hoc redolet vanam gloriam; ergo, etc.

Resp. cum S. Thomâ, 3 p., q. 27, a. 4, ad 3: *In verbis illis excessit Chrysostomus.* Et reverâ multo certius est sanctos Patres aliquando errasse, quam D. Virginem aliquando peccasse.

Dico 2°: Sensus priorum verborum est hic: « Quid mihi est tecum commune ad faciendum miracula? » Ergo enim, ô mulier, quamvis sis mater mea, non tamen à te accepti virtutem faciendi miracula, seu virtutem divinam. »

Probatur ex S. P. Aug., tract. 8 in Joan., dicente:

Miraculum exigebat mater; at Christus non agnoscit viscerâ humanâ, operaturus facta divinâ; tanquàm dicens: Quod de me faciet miraculum, non tu genuisti. Similiter dicit D. Gregorius, lib. 8 Epistolarum, ex Registro, epist. 42: *In miraculo, quod ex tuâ naturâ non habeo, te minime recognosco.* Item Beda dicit: *Significat Christus se divinitatem, quâ miraculum erat patrandum, non temporaliter accepisse de matre, sed per æternitatem semper habuisse de Patre.*

Rectè censet S. Epiphanius, hæresi 79, Christum ita locutum fuisse, ne postea hæretici ex eo quod Christus miraculum fecisset ex obedientiâ matris, intulissent Mariam esse Deam, adèoque et adorandum cultu latræ.

Auctor Analyseos censet cum S. Chrysostomo, Christum voluisse docere Mariam, ne ad obtinendum miracula interponeret auctoritatem maternam; non quod Maria hoc fecisset, sed quia, si Christus miraculum fecisset sine contradictione, ista patrati miraculi visa fuisset provenire ex obedientiâ et submissione filiali erga auctoritatem maternam, adèoque illam potestatem partim à matre provenire. Debebat ergo ille error deleri, non ex mente D. Virginis, in quâ nunquam fuerat aut futurus erat, sed ex mente discipulorum, quibus aliquando eandem potestatem erat collaturus.

Reprehendit ergo Christus matrem, non quia illa malè fecerat, sed ne alii malè facerent. Sic Jacob, Gen. 27, v. 40, reprehendit filium suum Joseph narrantem somnia sua, non quia Joseph peccaverat, sed ne peccarent fratres ejus per invidiam, id est. Sic sæpe prudenter reprehenduntur boni, ut corrigantur mali.

Dico 3°: Posteriori hæc verba: *Nondum venit hora mea*, videntur habere hunc sensum: « Nondum venit hora illa quâ juxta decreta absoluta facturum sum miracula; quia illa hora absolutè decreta est, ut primum miraculum fiat Jerosolymis in proximo Pasche, ibi effici vendentes è templo, et exinde incipiam ministerium meum in Judæâ, et postea, dum incarceratus fuerit Joannes Baptista, incipiam in Galilæâ. »

Dixi: *Juxta decreta absoluta*, non verò juxta decreta conditionata; quia decreverat Deus ut Christus inciperet apertè suum ministerium Jerosolymis adèoque antea in Canâ Galilææ nullum faceret miraculum, nisi Maria petivisset, etc. Decreverat ergo ut in Canâ faceret miraculum, sed non nisi sub conditione, si Mater peteret; aliàs decreverat absolutè, non incipere miracula nisi Jerosolymis. Sic plurima Deus decernit futura, non absolutè, sed sub certâ conditione. Sic decreverat reddere sanitatem Ezechiez ægrotanti, sed non nisi sub conditione, si illum ferventi prece peteret; aliàs enim erat certò mortuus. Et hoc modo omnia à Deo decreta sunt, quæcumque ab ipso precibus obtinemus.

Auctor Analyseos dat præmemoratis verbis hunc sensum, quod nempe verba illa: *Nondum venit hora mea*, non sint intelligenda de horâ faciendi primum miraculum, quia reverâ illa tunc advenerat, sed de

S S XXIII.

tempore incipendi publicè per prædicationes et miracula ostendere se esse Messiam. Rogat autem D. Virgo, ut tempus illud præveniat in favorem paupertatis sponsorum. Hanc petitionem reprehendit Christus, quia mutabatur propositum ejus. Uterque ad virtutem tendit: Maria petendo præveniri tempus ex charitate, Christus negando ex sapientiâ. Rectè facit Christus nolendo splendescere miraculis ante tempus sibi præscriptum; non malè facit Maria petendo tantum unum sine consequentiâ, idque in favorem paupertatis sponsorum. Ita auctor ille.

S. P. Aug., tract. 8 in Joan., intelligit tempus Passionis; quia tempus illud apud Joannem evangelistam cap. 7, v. 30, cap. 15, v. 1, et cap. 17, v. 1, vocatur *hora ejus*. Verba Augustini sunt: « Quod de me faciet miraculum, non tu genuisti; sed quia genuisti infirmitatem meam, tunc te cognoscam, cum ipsa infirmitas pendebit in cruce: hoc est enim: *Nondum venit hora mea*: ibi te agnoscam, cum pendere in cruce coeperit infirmitas, cujus mater es. » Hæc interpretatio non est rejicienda; quia potest esse vera simul cum supra dictis.

CAPUT X.

PRIMUM PASCHÆ.

Post nuptias in Canâ Galilææ Christus descendit in Capharnaum; deinde vadit Jerosolymam ad celebrandum pascha, ubi primâ vice eiecit negotiatores è templo. Circa dies festos Paschæ Nicodemus, princeps Judæorum, nocturno Jesum adit, et cum eo colloquitur. Post edoctum Nicodemum, relicti Jerosolymis, ivit in terram Judæam, id est, in agros Judææ, cum aliquibus discipulis suis; et illi demorabatur cum eis, et baptizabat. Baptizabat etiam adhuc Joannes, qui, occasione discipulorum suorum amulantium, rursus testatus est, seipso longè superiorem esse Jesum; ac proinde necesse esse cum crescere, se autem minui. Joan. 2, à v. 12 usque ad finem capituli 5. Aliquo post tempore Joannes ab Herode captus, et in carcerem detruditur. Matth. 14, v. 3, Marci 6, v. 17, et Luca 5, v. 19 et 20.

QUÆSTIO PRIMA.

De quo templo Judæi loquantur Joan. 2, v. 20.

Nota ter edificatum fuisse templum Jerosolymitanum. Primò à Salomone, 3 Reg. 6. Secundo post captivitatem Babylonicam, templum à Chaldeis exustum reedificatum fuit à Zorobabele et sociis ejus, 1 Esdræ 3 et 6. Tertiò reedificatum fuit ab Herode Judæorum rege, qui, ut regnum Judææ sibi suisque posteris assecuraret, novum templum Judæis erexit. Quærit ergo de quo templo Judæi hic locuti sint.

Resp. et dico 1°: Judæi, dum Christo responderunt: *Quadringenta et sex annis edificatum est templum hoc*, non sunt locuti de templo Salomonis.

Prob. 1° quia illud templum fuit absolutum spatio septem annorum: dicit enim Scriptura 3 Reg. 6, v. 38. *In anno undecimo (regni Salomonis) mense Bul (ipse est mensis octavus) perfecta est domus in omni (Vingt-huit.)*